

17

Q. D. B. V.
DE

TERMINO
VITÆ,

PRÆSIDE

DN. JO. GVILIELMO BAIERO
SS. Theol. Doct. ejusdemque Facul-
tatis PP.

*Patrono ac Fautore suo omni pietatis ac
observantia cultu prosequendo.*

PUBLICE DISSERTET

M. ANDREAS Cöler / Lubecens.

In Auditorio Theologorum

Die 1. Septemb. A. C. M. DC. LXXXVI.

JENÆ,

Literis IOHANN. ZACH. NISL.

VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis,

DN. LVDERO ADLERSCHIOLD, S. Regiæ Maj.

Sveciæ Commissario solertissimo.

DN. HENRICO JACOBO HILDEBRAND,

*Commerciorum Collegii Camerario vigilantissimo,
meritissimo.*

DN. SAMVELI PALVMBO, Camerario Admi-
ralitatis perindustrio.

DN. JAVQVES DOWER, Secretario fidelissimo.

itemque

Inclutæ Ecclesiæ Teutonicæ Stokholmenfis Membris

VIRIS

*Speçtabilibus, antiqua probitate & commerciorum laude
insignibus*

DN. Johann Scharenberg/ DN. Henrich Insen/

DN. Johann Lohé/ DN. Glas Wittmak/

DN. Hans Peter Schüffler/ DN. Henrich König/

DN. Dieterich Wittfogel/ DN. Paul Eggers/

DN. Joh. Krabbenhovet/ DN. Lorenz Lormölen/

Dominis Patronis ac Mecænatibus

sanctè colendis



*Beneficiorum quamplurimorum in se collatorum memor,
in gratæ mentis tesseram*

Hocce studiorum specimen offert

Nobilissimis & Amplissimis

ipsorum nominibus addictus

M. Andreas Göler.



PRÆLOQVIVM.



Um multa in verbo suo proponat sanctissimum Numen, cuius accuratam cognitionem Divinæ suæ scientiæ reservavit unicè: habentur tamen multorum procaces, seu quod malunt curiosi & subtiles conatus; qui hos præscriptos humanæ investigationi limites transilire sibi laudi & gloriæ ducant. Hinc enim obsoletæ illæ & futiles de fine Mundi sapius motæ conjecturæ: cuius quidem calculum quotquot ausi subducere, risui se exposuerunt. *vid. B. Bald. com. I. ep. Theff. s. p. m. 1171.* Voluit nimirum occultum esse diem & horam extremi iudicii Deus; fore pronuntiavit Christus: *Matth. XXIV, 36. Marc. XIII, 32.* immutare igitur voluntatem Dei & Christum mendacii arguere, enimvero indignum facinus est. Sed nolo durius invehi in eos, ne pia quorundam lædatur simplicitas; quibus nihil volumus detractum: tantum id ego idem contendo: ventura, maximam hominibus, mentiendi quælibet & fingendi, suppeditare licentiam: cum quod iis ipsis aures aliorum demulceant; etiamsi inania proferant: tum quod favor, quem inde eaprant, eos ad majora deliramenta captanda irritet & alat. *Propositum fiet nobis hoc ac manifestum in præsentem, quam bono cum Deo tractatu-*

fol. 11. v. 10.

Eturi sumus, materia; ubi maxime illud obtinet: nulla ferè magis in re otiosis suis 'contemplationibus indul-
 fisse Scholasticos: (quos hodiè vocitamus) lubricis et-
 iam & ambagiosis quæstionibus Judiciarios illos divinacu-
 los: quam cum *illi*, de præscientia Dei, in respectu ad causas
 contingentes ac liberas: *hi* de articulo & genere mortis
 disputare pariter ac definire eadem temerè voluerint.
 Arduum fateor molimur negotium nostrisque impar hu-
 meris: sed commodum mihi in memoriam venit, quod
 Homericus adolescens dixit:

Ου δὲ τι πω μύθοισι πεπέρομαι πυκνῶσι

Neque ego adhuc prudentium sermonum usum habeo.

"Οτι μὲν ἐν τῷ λόγῳ τι ἐμαυτῶν εἶδεν αὐτῶν ἐννεόηκα ἐν οἶδα, συ-
 νειδῶς ἐμαυτῶ ἀμαθίαν. λείπεται δὲ, ὄϊμα, ἐξ ἀλλοτριῶν πο-
 θενάματων διὰ τῆς ἀκοῆς πεπληρωθῆς με, δίκην ἀγγείας
*quod vero ex me ipso nihil tale cognoverim, intelligo, meæ
 inscitia conscius: restat igitur instar vasorum, hoc ex alio-
 rum fontibus hausisse, ut apud Platonem in Phædro dicit
 Socrates. Et sic plenam modestiæ vocem Divini Herois
 Lutheri, quam præfationi in Genesin præmisit, facio me-
 am: Non ego is sum, de quo dici possit: Feci. Neque is,
 de quo dicere possis: Faciebat. In ultimo consisto ordi-
 ne, quo vix dicere audet: volui facere. Et utinam essem
 dignus in hoc ultimo ordine ultimus esse!*

אֱלֹהֵי יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָא
 אֱלֹהֵי יְהוָה הַצִּלֵּה נָא

Psal. CXVIII, 25.

S. I.



§. I.

Humanæ vitæ brevitās & diuturnitas, licet primariò & infallibiliter à summi Numinis ordinatione dependeat; ita ut unicuique suus vitæ fixus sit terminus: *Hiob 14, 5. Psal. 90, 12. Syr. 17, 3. 37, 28. Eccles. 3, 2. Psal. 139, 16. Psal. 39, 5. Act. 17, 26.* (quò pertinet *hora* Christi *Luc. 13, 32. Joh. 7, 30.* maximè cum horam non *ὥρην*, quoniam horarum distinctionem Hermes Trismegistus invexerit, quod observasset animal quoddam Serapidi sacrum inter *ὥρην* spatium, duodecies æqualibus intervallis urinam emittere, ut refert *Polydorus de invent. Rer. l. 2. c. 5.* sed potius *ὥρην* deducimus quod definire & constituere significat: indeque sua cuique hora, non secus ac ipsi Christo sit definito Dei consilio constituta, qua sonante quilibet debeat res suas convasare & canere receptui, ut loquitur etsi malè deinde id applicet, *Maresius sylloge Disp. select. P. I. Disp. de Term. Vita p. m. 568.*) includit tamen naturalem complexionis varietatem, juxta quam vel brevior vel prolixior vivendi periodus est. *Psal. 90, 10. Binsb. Mellific. Theol. L. VIII. de Prov. art. V. item L. XXX. de Morte cap. IV. art. I.*

§. II. In primis quidem Mundi natalibus, miramur sæpe ad tot secula prorogata esse vitam hominum. Adamum enim Protoplastum annos vixisse 930. sacra refert Pagina: Seth ad annos vitæ 912. pertigisse: Enos 905. explevisse. Senior & grandævus præ omnibus Methusalem, ad annum usque 969. ætatem porrexit. Neque vero dubitandum videtur, quin multi, id ætatis, etiam angustioribus terminis vitam clauserint: solum enim numerantur vitæ Patriarcharum, quos verosimile est fuisse longæviores.



§. III. *Baco quidem de Verulamio in historia vita & mortis p. m. III. edit. Londin. ann. 1623. pro contraria stat sententia; & negat, vitæ diurnitatem ante diluvium gratiæ aut lineæ sanctæ attribui posse: sed ratione nititur admodum infirma quæ legi ibidem potest. Moses certè Maimonides (qui primus inter suos desit nugari iudice Casaubono, & de quo Judæi ipsi perhibent: à Mose legislatore usque ad Mosen Ægyptium, non fuisse talem qualis hicce Moses) in libro More P. 2. cap. 47. scribit: longævitatē hanc Patriarcharum non fuisse, nisi quorundam singularium commemoratorum in lege: reliquos illorum seculorum annos attigisse non plures, quam hodiè communiter fieri solet. Longævitatē illam obtigisse illis singularibus partim propter regimen & diætā accuratiorem, partim miraculose. Quam sententiā amplectuntur BB. DD. Lyserus, Gesnerus & Gerbardus in comment. ad cap. V. Genes. & post eos B. D. Geier in Betrachtung der Sterblichkeit Tom. I. Conc. 1. in der Beschreibung des Menschlichen Lebens. Et verosimillima est: cum aliàs etiam unum genus præ aliis eam habuerit prærogativam, ut ad senium insignē inde pronati pervenerint. Sic de Pandoris natione Indiæ memorat Plinius, Lib. VI. cap. 1. vitam ad 200. annos, produxisse. Confer quem nectit catalogum de longævis Verulanius l. c. Patriarcha quidem Jacobus, cum Rex ejus canitiem miraretur & longævitatē insolitam respondit: *Dies annorum peregrinationum mearum (vitæ meæ) non attingunt dies annorum vitæ PATRVM meorum. Genes. XLII, IX. innuens: Majores suos (adeoque non omnes ejus temporis in genere) se multò vivaciōres fuisse.**

§. IV. *Causas hujus longævitatis Theologicas Physicas & Ethicas habet Gerb. quest. IV. in Genes. V. Nos assu-*



assumimus duas supra memoratas *Maimonidis*, cum quo
coincidit *R. Isaac Abarbanel. in dissert. 1. de longevitate
Patrum*, quam ex Hebræa in latinam Lingvam convertit
Joh. Buxtorffius Filius, complectentes sub caussis natura-
libus inter, alias. Patriarcharum bonum regimen in cibo &
potu, juxta sufficientiam sine superfluitate. Eo enim tem-
pore (sepositis hac de re diversis diversorum sententiis,
quas succinctè proponit *B. D. Christianus Chemnitius
qvæst. in Genes. cap. IX. qvæst. 1. & alii*) non comedebant
carnem. *Add. B. Bald. com. 1. Tim. c. IV. qvæst. IV.* neque
bibebant Vinum, cujus plantationis Noachus autor erat.
Conf. Polyd. de Inv. Rer. lib. 3. c. 3. sed pro cibo contenti erant
oleribus & herbis, aqua pro potu: juxta mandatum Jehovæ
Genes. 1, 29. Vnum vero pomum tunc temporis cum gau-
dio & bona conscientia degustatum, plus attulit volupta-
tis & salubritatis, quam nunc omnium volatilium pisci-
umque caro vix præstare potest. Quippe quod ex Medi-
cina constet: (*Bacone licet contradicente historia vite &
mortis p. 333.*) alimenta quò magis simplicia, eò magis salu-
bria esse sano corpori: quo vero magis composita, eò ma-
gis noxia. *Hinc Clemens Alexandrinus l. 11. Pedag. cap. 1.
p. 109. D.* ex cibis ii sunt aptissimi, quibus ex se uti licet,
absque igne, & sunt paratiores & salubriores. Idem *An-
tiphanum Delium*, Medicum, vel unam hanc meminit di-
xisse morborum caussam, ciborum varietatem. Vt adeò
inter naturales longævitatatis Patriarcharum caussas fuerit
haud postrema, victus simplicitas, conjuncta cum Regimi-
ne bono, in cibo & potu temperantia. Reliquas comme-
morare supersedemus.

§. V. Ad *miraculosas*, seu speciali ac supernaturali
operationi divinæ tribuendas, devenio, quarum (1) respi-
cit

cit *multiplicationem Individuorum*; ut illis tanto citius
 Mundus repleretur: (2) *artium necessariarum expedi-*
ditorem inventionem, inventarum elaborationem,
 elaboratarum viva voce & exemplis aliis traditionem: ut
 cum usu & annis artes & experimenta perficiantur, & ad
την ακμην perveniant; ab uno id felicius, si vita ei per plu-
 ra secula fuerit concessa, quam a multis brevioris ætatis,
 nec paræ acuminis ac ingenii absolvatur. Consule *Pan-*
cirollum de rebus inventis & perditis passim. Addimus
 cum Nostratibus ex §. anteced. citatis (3) *respicere cultus*
divini commodiorem certiorēq; traditionem: quia non ex-
 stabat verbum Dei scriptum. Notandum autem merito,
 monente *Chemnitio*, quod tum historia conditi Mundi, tum
 cultus & notitia veri Dei, usque ad ætatem Jacobi Patri-
 archæ, ultra bis mille annos, per solos tres homines propa-
 gari & conservari potuerit, Adamum nempe, Methusalem
 & Semum. Nam Methusalem natus est A.M. 687. Adam
 autem mortuus est A. M. 630. Potuit igitur Adamum au-
 dire Methusalem, de mæte sex annis pueritiæ per 237. annos.
 Sem autem natus est post Methusalem 869. annos: vixit
 autem Methusalem 969. annos. Fuit igitur ei *σὺχος*
 Semus per integros 100. annos. Porro à nativitate Semi,
 usque ad nativitatem Jacobi, sunt 552. anni: Sem autem
 vixit annos sexcentos: fuit igitur ei *σὺχος* Jacobus,
 eumque audire potuit, per integros adhuc 48. annos. Et
 ita mirabili Dei providentia, tam historia conditi Mundi,
 quam notitia & cultus veri Dei, propagatus & conserva-
 tus fuit. *Vid. Chemnit. Exam. Concil. Trident. P. I. de Orig.*
causa & usu Scripturæ V. T. p. m. 13. 14.

§. VI. Quod autem vita postea sensim decurtata
 defecerit, ejus processus generaliter sic se habet. Cum
 Ada-

Adamus primus fuerit opus manum Dei, nullum est dubium, quin donatus sit æquabilitate temperamenti, puritate humorum, firmitate compositionis, & cohærentia membrorum, & bonitate constitutionis, modo perfectissimo, quem natura admittit: ita ut hujus rei causa, observato regimine debito & præscripto, potuerit conservari & præservari a morte. Et licet morte multatus sit, cum peccavit; remansit tamen in natura ejus, cum peccavit, ut potuerit vivere longo tempore: tum ratione firmitatis corporis sui; tum ratione perfectionis structuræ ejus; tum propter alimenta convenientia, quæ nulla, ut modò diximus, alia fuerunt, nisi è Terris germinantia, & potus aquarum simplicissimarū; tum quia ipse atq; filii probiores non dediti fuerant libidini (non enim gignebant liberos, nisi 100. vel plurium essent annorum.) Penes alios autem homines, Cainitas præsertim, & maxime accedente diluvio, grassabatur vita impia ac effrenata & contra leges naturæ instituta, intemperantia, & abusus beneficiorum naturalium; & quod caput erat, profusa vigeat libido ante diluvium. Hinc natura fracta atque debilitata, quæ a primæva sua origine firma erat ad se ipsam confirmandam & fortis ad resistendum contrariis.

§. VII. Extra hominem verò etiam, ipsius terræ & corporum mixtorum fractas quodammodo vires esse, non negamus. Extat enim expressa maledictio Jehovæ, Gen. 3, 17. *Adæ vero dixit: Maledicta terra בעבורך propter te, (seu propter peccatum tuum) cum dolore comedito proventum ejus omnibus diebus vitæ tuæ: eaque spinam & carduum profert tibi: tu vero comedito herbam agri. In sudore vultus tui vescitor cibo.* Quod autem terræ propter peccatum ita fuerit maledictum, ut etiam hominum

B

Vitæ



vitæ ac sanitati non æquè amplius serviret, ut olim, facile constat, si attendamus (1) quod ea, quatenus ad usum hominis spectat, deterior facta dicitur, (quod & Junius monet in notis) Et quidem, (2) habita peculiariter ratione proventus, seu fructuum ejus vescendorum: quodque (3) licet subacta multo labore, ne sic quidem puras fruges prolatura dicitur: uti Grotius ad b. l. scribit. Itaque & labor ipse, in cultura terræ, fatigat homines; & impuritas frugum, alimentis satis salubribus præbendis, obstat: Conf. B. N. Hunnium in Exam. Error. Photin. de lapsu primi hom. sect. II. cap. 1. p. 109. Neque ergo absurdum videri debet, quod ex hominis peccato, in terram licet innoxiam, redundet pœna. Sicuti enim primum mobile, cœlestes omnes sphaeras secum volvit: sic hominis ruina, præcipientes agit omnes res creatas, quæ propter ipsum conditæ, illiq; subjectæ fuerant: ait Calvinus. Imo vero homini ipsi hoc in pœnam cedit, quando creaturæ aliæ, in deterius mutata, non amplius præstant homini, quod antea præstiterunt. Conf. Christ Schotani heptaameron p. 483. Post primam autem illam corruptionem telluris, alia major accessit per diluvium inductamque illam universalem aquarum saluginem. vid. B. Lutheri Com. in Genes. c. VI. vers. 11. Sic enim corrupta magnopere & permista fuisse elementa, in iisque aerem præsertim vaporibus plurimis repletum humidiolemque esse factum, terræ fruges etiam, propter nimium humorem aqueum, evasisse sustentandæ animalium vitæ minus idoneas, haud temerè creditur. Ac licet non statim post diluvium, corruptionis ejus effectus se prodiderint, ut ad septuagesimum vel octogesimum annum vivendi diminuta periodus sit: tamen Moses, suo jam tum tempore, *παχυλῶς* s. platicè, idem annorum vitæ spa-

spatium determinat, cum *ὡς ἰπὶ τοῦ πλὸν* vitæ periodum, ex naturalium caussarum fluxu, innuere vult & definire. *Psal. 90, 10.*

§ VIII. Equidem non desunt, qui septuagenarium vel octogenarium hunc numerum capere modo velint de periodo ætatis vegetæ, valentis ac vigentis. Sic *Genebrardus* notat: *agi de periodo, qua in firma valetudine, statu, vigore, poterat hominis natura tum permanere, absque vitæ incommodis, per optimam sensuum & membrorum functionem.* Ita & *Bellarmin. Kimchi. Voetius* in ep. ad *Beverovic. p. 243.* Hammondus singularem amplectitur sententiam, quasi Moses spectet fatalem illum terminum, ex decreto Dei vindicis, adversus populum murmurantem natum; quo factum sit, ut nemo illorum, qui ex Ægypto egressi erant, in terram Canaan ingrederetur: interim fieri potuisse ut, qui in ætate virili & ad bellum apta ex Ægypto egressi erant, ad annos usque LXX. vel LXXX. pertingerent, non autem annum octogesimum excederent. Alii hunc terminum, non ad tempora Moſis, sed Davidis referunt, quasi ipse, non Moſes, hujus Psalmi primus Autor fuerit. Quæ in sententia *Augustinus, Cassiodorus, Chrysostomus, Ambrosius, Beda, Euthymius, Torriellus, Alex. Alesius* aliique, quos citat *D. D. Pfeiffer Difficil. Script. Loc. loc. LXXVI. p. m. 711.* Quod licet & Hieronymo creditum, manifesta tamen Psalmi epigraphe, Moſis esse, à Davide in librum Psalmorum relatam, certò indicat. Neque enim officit apparens contradictio, quod Moſes affirmet: annos vitæ nostræ durare LXX. aut ad summum LXXX, cum tamen ipsemet vixerit CXX. annos. Loquitur enim de *ordinaria* vivendi periodo, quæ non ultra LXX. vel LXXX. annos extendebatur: *extraordinarium* autem

B 2

erat



erat quod ipse CXX: annos viveret. vid. *Waltb. harm. & Prükn. Vindic. Bibl. ad h. l.* Primum quidem confirmant τῶν ἑξῶ testimonia. Solon ad Crœsum: *Constituimus, inquit, homini vitæ terminum* ἐς εὐδαιμόνῆα ἕταρα apud *Herodot. l. 1. f. Cliop. m. 14. & Diog. Laërt. in Solone p. m. 32. Macrobius l. 1. somn. Scipionis c. 6.* scribit: *Cum Decas ἐπιτάδ jungitur, ut aut decies septem, aut septies deni computentur anni: hæc à Physicis creditur meta vivendi, & hoc vitæ humanæ perfectum spatium terminatur; quod quisquis excesserit, ab omni officio vacuus, soli exercitio sapientiæ vacat &c.* Plura vide apud *Comment.*

§. IX. Nonnulli ex Pontificiis huc referunt locum *Genes. VI, 3. Non disceptabit Spiritus meus cum hominibus in seculum, quod etiam caro sint, itaque dies hominis futuri sunt centum viginti annorum:* quasi vero hoc dicto non spatium pœnitentiæ datum (quæ sententia communiter apud *Nostrates* obtinet) sed terminus vitæ hominibus illis imposterum positus, innuatur; quò *Philo, Josephus, Lactantius, Procopius, Rupertus, Castalio* abeunt. *Franciscus etiam Vallesius de sacra Philosoph. c. VII. p. m. 84.* licet eam sententiam amplectatur; magis tamen ansam suæ ad *h. l.* dissertationis philosophicæ, quam ipsam veritatem sententiæ respicit; sic enim ille: *his verbis videtur significari à temporibus Noë hominum vitam ad CXX. annos esse contractam.* Sed destruit eam (1) *Textus σὺν ἀφεία,* & quod (2) post diluvium *Abraham 175. Sara 127. & eorum filii, Isaac, 180. nepos Jacob 147. & qui inter Noë & Abraham multo plures vixerunt, ferè 500. annos confecerint.* Accedit (3) quòd *l. c. Ps. XC.* tanquam sede hujus doctrinæ, terminus vitæ humanæ post diluviū, ἐν πλάτῃ acceptus, satis clare indicatur *h. v. שׁוֹנֹת יָמֵינוּ dies annorum nostrorū,* seu, quod ad

ad illos attinet, **כחם** *in illis*, continentur, seu insunt illis, LXX. anni: **ונאם בנבחרו** *& si in potentiis*, LXXX. Quod vero sequitur **ורחבם** *& robur* vel excellentia eorum, non capiendum est de quantitate h. m. si adhuc ulterius accreverit annorum numerus, reliquam vitæ partem non tam pro vita, quam lenta morte habendam esse, sed de conditione & statu totius vitæ: ut adeo sensum optimè expresserit, felicissimus Scripturarum interpres *D.D. Geierus ad b. l.* wenn man aus diesen ganzen LXX. oder LXXX. auff der Welt zugebrachten Jahren (ja solt es gleich durch ein sonderbahr privilegium noch länger seyn) gleichsam per artem Chymicam, das allerbeste/ fürtrefflichste und köstlichste/ so zu sagen / die quintam essentiam heraus ziehen/ alles was von Herrlichkeit zu nennen / dadurch sich des Menschliche Leben uns recommendirt und beliebt macht/ herausnehmen solte/ so würde doch per ultimam analysin nichts herauskommen als eitel Mühe und Arbeit.

§. X. Juxta hæc autem, hodierno nostro tempore, ubi omnia in pejus ruunt & ruinam minantur, vitæ terminus non tam extendendus & prolatandus, quam diminuendus erit: prout etiam Talmudistæ annum LX justum vitæ terminum statuunt, & Judæi attingentes annum LX. solent convivium Eucharisticum instituere, quod non sint ante tempus à Deo excisi. Conf. *Buxtorffii Lex. Talmud. col. 1101.* & *Scheidii dissert. de Oleo unctiois p. 48.* Imo & Turcicæ esse mentem, ut annum LX. esse ordinarium vitæ humanæ terminum censeant, innuit *D. Meninski Thes. Orient. col. 2553. a.* Dixi *ordinarium*, non quasi hæc periodi vitæ humanæ, quas hactenus posuimus, ita limitentur, ut necessitate naturali moriantur in illis omnes, neque possint ullo modo ulterius vivere: sed quod plurimi

intra eas moriantur, atque pauci quidam ulterius vivant, ac rebus gerendis sint idonei.

§. XI. Quod si tamen paulò curatius attendamus, res ipsa quidem & vis vocis docere videntur, quòd terminus vitæ ordinarius is dicendus sit, quem de lege communi atque ordinaria, sive quod idem est, vi providentiæ communis ac ordinariæ, constituit Deus homini, pro sua cujusque natura & temperamento: scilicet *quod Deus, uti ab aeterno præscit, quam naturam quisq; à suis Parentibus, vi naturalis generationis accepturus, & quousque juxta naturæ ordinem, cum ipsius generali concursu vitam protracturus sit: ita & ab aeterno constituerit causis secundis tantum præbere influxum, quantus quidem de lege naturæ ipsis debetur; iisq; ut causa prima cooperari, usq; dum ad terminum à natura determinatum pertingant, & ipsarum vires deficiant: nisi aliud quid interventurum præviderit, cujus intuitu, ipsi à naturæ cursu recedere, & alium, quam quem natura ipsa determinat terminum, constituere aut permittere decreverit.* Quæ verba sunt B. Musæi, Coll. MSto contra Reform. præsertim Wendelin. Disp. XII. §. 15. Juxta hanc autem vocis acceptionem vix erit, ut certum aliquem annorum numerum, sive octoginta sive septuaginta sive sexaginta, tanquam terminum vitæ humanæ ordinarium, definiamus: quandoquidem spectata insigni illa varietate temperamentorum, quæ homines per generationem naturalem accipiunt; negari non potest, naturam ipsam alii hunc, alii alium præfigere vitæ terminum, quem ille v. g. in adolescentia, iste in ætate virili, alius in ipsa demum senectute attingat. Illi vero, qui certum annorum *Denarium* pro termino vitæ ordinario constituunt; videntur (1) spectare temperamentum corporis, non nimis de-

debile, sed mediocre. (2) ordinarium dicere *ως εν φηατς* pro
eo, quod plerumque, nisi alii interciderint casus, locum in-
venit: prout iter diei dicitur ordinariè esse quinque millia-
rum germanicorum: tot enim homo valens ac vegetus,
ceteris paribus, per diem, citra insignem molestiam, con-
ficere potest: Quo ipso tamen non negatur, alium extra
ordinem plura, alium ne quidem quinque illa conficere
posse. Conf. B. D. Hülsemannus Vind. S. p. 33. B. D. Hunnius
de Provid. p. 39. B. D. Danb. hodosoph. p. 329. seqq. & hodom.
Calvin. p. 865. Nec de nihilo est, quod B. Hülsemannus
l. c. duo hic distingvi debere monet: nempe quod aliud
sit; Deum pro arbitrio suo tribuisse unicuiq; hominum, de-
terminatam durationem (rationem) vivacitatis natura-
lis, quæ communiter produci soleat ad 70. & 80. annos: aliud,
determinasse unicuiq; etiam certam durationem ipsius vitæ.
Vivacitatem, s. facultatem naturalem vivendi, per Provi-
dentiam Dei communem, homini, uti & reliquis animanti-
bus inditam (quomodo & singuli passeres acceperunt à Deo
determinatam vivacitatis suæ durationem (rationem)
Matth. X, 29.) sed vitam ipsam vitæq; terminum, præter
communem illam providentiam, quam gerit tanquam Crea-
tor & Conservator omnium mortalium, supponere pro causa
durationis suæ & spirituales (speciales) Dei providentiam
quam gerit tanquam *Δεσπότης* vel etiã vindex. Priorem pro-
videntiam, quousque Deus velit terminum naturalis viva-
citatatis in homine producere, non spectare ullam causam im-
dulsivam in homine olim extitutam, seu per naturam s. per
gratiam: neq; secundò eum vitæ terminum, quem Deus tan-
quam *Δεσπότης* vel decurtat infra naturalem vivacitatem,
in iis, quos præripit ab insigni aliquo supplicio; vel quem
prorogat ultra naturalem vivacitatem, ut in Hiskia II. Reg.
XX,



XX, 1. requirere in homine causam impulsivam, moventem Deum, ad conferendum alterutrum horum beneficiorum, verum illum vita terminum, quem tanquam vindex seu abbreviat, seu prolongat, nunquam statuere, nisi motus sit hominis flagitio. *Genes. XVIII, 25. Psalmo CII, 25.*

§. XII. Illud mirandum, quod cum omnes omnino, morte damnati sint mortales; quosdam tamen adeo captos mente legamus, ut viam naturalem, ad immortalitatem, aut nescio quam vitæ diurnitatem, demonstrare, in animo habuerint. Hinc enim sermones inferri audimus, (licet nonnulli hic medium teneant *D. Sennertus lib. de consens. & dissens. c. 19. p. 431. B. Matthæus Sarept. conc. 4. f. 58. b.*) de Medicinis ex auro (quia scilicet aurum corruptioni est minimè obnoxium; à quibus dissentunt *D. Conring. lib. de Hermet. medicin. c. 19. p. 243. Johan. Heurnius, Medicinæ in Belgio Doctor celeberrimus Comment. in lib. 2. Aphoris. Hippo. p. 51. Oswaldus Crollius Basilic. Chymic. p. 202.*) & de Gemmis, ad recreandos Spiritus, propter proprietates occultas & clarorem suum; quodque si possint detineri & excipi in vasibus, Balsama, & quintæ essentiæ animalium, superbam facerent spem immortalitatis; quodque carnes serpentum & cervorum, consensu quodam valeant ad renovationem vitæ, quia alter mutat spolia, alter cornua; (debuerant autem carnes Aquilarum adjungere, quia Aquila mutat rostrum;) & quæ sunt alia, quæ meritò sugillat *Baco*, dum res inutiles vocat, fabulosas, superstitiosas, ineptas, quæ tragicum sæpe exitum sortiuntur, & Autorem jactabundum irritò eventu deridendum Sanioribus omnibus propinant. Id quod accidit Philosopho illi tempore *Galenii*, cujus ipse mentionem facit *lib. 1. de sanitate tuenda cap. 12. & libro de*
Ma-

Marasmo (mòrbus ex senio ita dictus) *cap. 11.* qui edito li-
bro modum ostenderat, quo quis posset senii experts per-
petuò manere, cum annum adhuc XL. ageret: cùm autem
ad LXXX. annos vitam produxisset, adeò gracili sicco &
exsucco fuit corpore, ut faciem illam exprimeret, quam in
Prognosticis descripsit *Hippocrates*. Cum igitur multis
eo nomine ludibrium deberet; quasi quæ alios docere de-
beret, in ipso fallerent, posteriori libro de ἀγνησία osten-
dit: non quemlibet senii expertem permanere posse, sed
ad hoc natura opus esse apta, & jactis à prima educatione
optimis fundamentis; pollicitabaturque, se infantium, qui
ad hoc idonei essent corpora, redditurum immortalia, ubi
ipse eorum curæ ab initio præficeretur. Sed his promissis
facile dives esse poterat Philosophus, neque falsitatis re-
dargui ejus sollicitatio; cum prius illi moriendum esset,
quam quos suscepisset pueros, ad virilem ætatem pervenis-
sent. Frustrà igitur de corporis immortalitate labora-
mus, si immortale fieri, quod genitum est, planè non pot-
est. Fixus quippe est omnibus in Mundo hominibus, vi-
tæ quidam terminus, quem alter citius, alter serius asse-
quitur: nemo tamen evitare mortem potest. Est hic di-
stinctio illa probè attendenda, cum quæritur de vitæ hu-
manæ termino, inter mortem *simpliciter consideratam*,
atque inter *horam & genus mortis*. Mors ipsa post lapsum
homini, juxta ordinarium naturæ corruptæ statum ac cur-
sum est necessaria. *Αμεινται enim, statutum ac definitum*
est hominibus semel mori Hebr. 9, 27. Est enim obligatio ea
universalis, est generale tributum ab omnibus persolven-
dum, est iter commune ac via regia omnibus Adami ne-
potibus calcanda. Ut non immerito *Seneca ep. 77. scri-*
pserit: Eò ibis, quò omnia eunt: quid tibi novum est? ad
C *banc*

hanc legem natus es : hoc Patri tuo accidit, hoc matri , hoc Majoribus, hoc omnibus ante te , hoc omnibus post te : senes invicta ac nulla mutabilis ope illigat ac trahit cuncta. Quantum te populus mortuum sequetur ? quantum comitabitur ? Fortior, ut opinor, esses, si multa millia hominum tibi commorerentur. Atqui multa millia hominum & animalium hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animam variis mortis generibus emittunt. &c.

§. XIII. De mortis igitur jaculis effugiendis frustra omnis disputatio instituitur: de genere & hora mortis pro instituto quaerendum est. Vbi tamen cavendum erit, monente *Gerhardo LL. Loco de Provid. cap. VIII. p. 24. col. b.* ne vel in Scyllam Epicurea temeritatis, vel in Charybdim Stoica necessitatis immergamur.

§. XIV. Praescientiam Dei universalem rerum humanarum (possemus dicere futurarum contingentium, ob Photinianos & Remonstrantes nonnullos, Simonem Episcopium, & alios) ut ut in totum facile nemo negabit, nisi qui Providentiã ipsam negaverit; ita alterum Stoicis, alterum Epicuro vulgò tribuitur. *Stoicos* quidem quorũ facile princeps Seneca, haud tam absurdam de Providentia Dei fovisse opinionẽ, ut eam prorsus negaverint: nec Epicurum summum bonum simpliciter in foedis corporum voluptatibus posuisse, ut communiter perhibent, innuit *Seneca de Provid. c. 1. Justus Lipsius l. 2. Manuduct. Stoic. Dissert. 21. Aelianus Var. histor. l. 4. c. 13. Diogenes Laërtius in vita Epicuri*, ubi refert: Diotimum Stoicum, invidia concitatum ac ira, tales calumnias in Epicurum evomuisse. Quae de re pluribus vid. *M. Jacob. Stolterfoth not. ad Seneca lib. de Provid. cap. 1. Adde Colleg. MStum Phys. Celebrissimi Morbosii p. 1. gener. cap. de Secta Epicuræa.* Verum quicquid sit;

fit; saltem omninò excusandi haud sunt. Nostri autem non est instituti rem istam exactè excutere, aut litem hic facere nostram: ad eos nos potius convertimus, qui idem nobiscum Principium agnoscentes Scripturam S. tela inde desumunt contra nos, ut sibi imaginantur, prævalida, fatalitatis tamen Stoicorum quodammodo veneno infecta, adeoque in nostram perniciem directa. Contra quæ ut nos vicissim in antecessum præmuniamus; ponimus ut concessum: *terminum vitæ humanæ à Deo præcognitum ac præstitutum*, h. e. præscivisse Deum ac constituisse ab æterno, immobili ac immutabili decreto, quamdiu unicuique homini (voce hominis universaliter ac distributivè sumpta, ut omnes & singulos homines complectatur) sit vivendum, & quo die vel hora, quo loco & quo morbo, aut qua occasione, hunc vel illum ex hæc vita evocare velit.

§. XV. Et hunc terminū vitæ unicuique homini præfixum necessarium, immobilem probamus *Job. XIV, 6.* qui locus, juxta versionem *Tremellii*, ita sonat: *Præcisi sunt dies ejus: numerus mensum ejus penes te (est) determinationes ejus fecisti, quas non transgrediatur.* Vbi in textu Ebræo authentico ponitur particula **וְ** quam uti *vulgatus interpretes* ita etiam *Tremellius* h. l. omisit. *Arias* vero *Montanus*, *Pagninus* *Chaldaeus*, *Mercerus* etiam & *Tigurini* conditionaliter verterunt h. m. *Si definiti sunt dies ejus &c. recede ab eo &c.* Sunt, qui particulam **וְ**, volunt esse particulam asseverantis, adeoque sic exprimunt: *certè definiti sunt dies ejus*, sed haud facilè in Scriptura Sacra ea significatio particulæ **וְ** obtinet. Alii negativè interrogantis hanc voculam esse ajunt, ut sensus sit: *annon definiti dies ejus*, ut adeo hæc interrogatio negativa resolvenda veniat in propositionem affirmativam: *Omnino de-*



finiti sunt dies ejus, æque ac affirmativa interrogatio proximè præcedentis versus quarti: *quis dabit mundum de immundo?* ab ipso Spiritu S. resolvitur in negativam: Non quisquam, h. e. nemo dabit mundum de immundo: quæ regulæ hermeneuticæ de interrogationibus agentibus & negantibus ut ut optimè se habeant, in hebræo tamen textu vocula negativa לֹא non extat, nec ullibi אֵין eandem significationem cum לֹא אֵין aut אֵין־הָאֵלֹהִים habet. Sunt qui cum *Aben Esra* exponunt posteaquam. Alii ut *Belgæ, Coccejus, Piscator*: *siquidem, quandoquidem, quia.* Nostratiū non pauci cum *B. Luthero*, cujus versio cum *Vulgata & Tremellii* in præsentī coincidit, absolutè hæc verba vertunt: *Er (nemlich der Mensch v. I. hujus capituli) hat seine bestimmte Zeit.* Vbi quoque notanda venit vox אָרְבַּע, quæ, monente *D. Sebast Schmid. comment. in Jobum*, ad hunc locum p. 588. notat *præcidere, præfinire, desinire*, אֵין־הָאֵלֹהִים *dies definiti aut præfiniti, sunt dies determinati cum aliqua abscissione, hoc est, qui aliàs vel longius extendendi fuissent, juxta primam naturæ institutionem, sed per divinum decretum aliquam abruptionem, abscissionem & decurtationem passi sunt.* Nam אָרְבַּע, *abscindere, decidere aliàs notat.* Septuaginta Interpretes verterunt ἀριθμητὸς, ab Arithmetico quasi in summam redacti & numerati. Quemadmodum id clarius cap. XVI. vers. 22. per אָרְבַּע שָׁנִים exprimitur, anni paucissimi, ut Tremellius vertit (qui facilè numerantur) *B. Lutherus die bestimmten Jahre (die gleichsam abgerechnet seyn.)* Et sequitur in hoc ipso versiculo 5. cap. XIV. nomen אָרְבַּע, per quod rursus intelligitur numerus certus, numeratus & finitus; non vero innumerus seu potentia infinitus. Si autem est numeratus, à Deo utique est definitus. Illius enim est

nu-



numerare, qui omnibus & numerum & unitatem tribuit,
& quem intueri iubetur Belsazar, Dan. V. vers. 25. **נמנו**
לפני נמנו quod interpretatur Propheta vers. 26, *Nu-*
meravit Deus regnum tuum, & perfectissime numeravit
illud: Et cum regno vitam. Gisbertus Voëtius dissertatione
epist. de Term. Vita ad Beverovicium p. m. 29. Quotendit
Danb. Lact. Catechet. in hunc locum: Es ist ein Gleichnis
von einen Uhrmacher/der die momenta und minuten wol ab-
gewogen/das es schlagen muß auf die Uhr / wenn es geordnet.

§. XVI. Vicina est, qua David utitur allegoria
inquiens: in libro descriptos esse dies suos. Psal. CXXXIX,
16. *Massam meam vident oculi tui, & in libro tuo hac omnia*
scripta sunt, (ex quibus) diebus formabantur, cum non-
dum ullum ex eis exstaret. Vbi Propheta Deum propo-
nit ut hominem, memoriæ & certitudinis gratia, omnia
justo ordine in librum referentem, qui liber Dei, **κατά**
συνοτάξαον sic dictus, nihil aliud denotat, quam præsci-
entiam divinam, quâ summum Numen omnia in perpe-
tuo, stabili ac immutabili **ὄν** intuetur, omnem temporis
mensuram & circumscriptionem longissime transcen-
dens, omniaque temporum spatia & intervalla æternitatis
suæ proprietate excludens. Hinc etiam disputat *Scaliger*
exercit. 365. sent. 8. ne verbum quidem illud providere, Dei
convenire omnipotentia (adeoque nec præscire ejus omni-
scientiæ NB. providentia actum efficaciter quævis in mun-
do administrandi denotat; præscientia nudam notitiam:
Providentia est liberæ voluntatis; præscientia est idioma
quoddam essentiale Dei, quando quidem non potest non
præscire, seu scire omnia, aliàs non esset omniscius. &c.)
nisi quoad nostra mutila intellectu metimur infinitatem:
nobis quidem, quibus est futurum, prævisio illa est: Deus,

C 3

cui



cui nihil futurum est non prævidet, sed videt simplicissimè quod est presens. Confer elegantem *Augustini* locum *l. XI. de C. D. cap. 21.* Quamvis enim, quando res, nondum existens sed extitura, adeoque prius quam existit, cognoscitur, hac ratione præcognosci aut prævideri propriè dicatur: quia tamen de lege communi & pro ratione intellectus finiti, futura non aliter cognoscuntur nisi in suis causis; Dei autem scientia ad omnia futura, velut immediatè in se ipsis contemplanda terminatur: ideò scientiam futurorum in Deo à scientia futurorum humana distinguendam putavit Scaliger, & maluit dicere: Denique videre & scire illa, quam prævidere aut præscire. Huic autem Divinæ scientiæ addere oportet totam molem providentiæ divinæ, quæ argumentis, partim à minori ad majus, à genere ad speciem, partim exemplis ac testimoniis multò pluribus evincitur ac comprobatur. Apage hic illud *àuxmedias* das ohngesehr der Epicurer: ut B. Danhauer appellat, & quorum verba referuntur à Spiritu S. Sapient. II, 2. & vide ne venias in castra Stoicorum hisque faventium Calvinianorum.

§. XVII. Quando enim terminum vitæ humanæ & præsciri à Deo, & dependenter à directione aut gubernatione Dei, adeoque juxta decretum quoddam voluntatis divinæ, attingi affirmamus; certum est ab utraque parte, haud parum difficultatis occurrere: quando vel præscientiæ aut decreti divini ratio non apparet; vel absoluta quædam necessitas ipsi termino vitæ inferri videtur. Nempe aliàs nota est quæstio illa generalior: Quomodo Deus habeat scientiam certam & determinatam futurorum contingentium? & : an præscientia Dei afferat rebus futuris ac præscitis fatalem seu absolutam, velut ex antece-

recedente caussa pendentem necessitatem? Equidem *praescientia Dei tot habet testes, quot Prophetas*: monente *Tertulliano libro II. contra Marcionem*. Sed neq; Prophetarum oracula omnes agnoscunt, neque genuinam praescientiae divinae rationem omnes assequuntur, & cum rerum contingentia rectè conciliant. *Cicero* certè, argutus satis atque doctus, nulla ratione conciliare libertatem arbitrii in nobis, cum praescientia certa & infallibili rerum futurarum in Deo potuit. Arbitrii quippe libertatem in homine negare ne cogeretur, ipsam in Deo sustulit praescientiam futurorum: uti constat *ex lib. II. divinatio*. Sed rectè de eo judicat *Augustinus lib. V. de Civit. Dei cap. 9. & 10. scribens: dum vult facere homines liberos, facit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque elegit (nempe praescientiam futurorum divinam, & liberum arbitrii voluntatis) utrumque confitetur, & fide pietatis utrumque confirmat*. Confer de hac quaestione *B. Gerhard. L. de Provid. §. 33. seqq. B. Scheiblerum L. II. Metaphys. cap. III. punct. 3. 4. p. m. 87. B. Schertzerum Colleg. Anti Socin. Disp. V. fol. 53. seqq. D. D. Fridem. Bechmann. de Scientia Dei cap. IX. Dn Donati Disp. de Praescientia div. Veritate An. 1679. Wittebergæ habita §. 28. 29. 30.*

§. XVIII. Nos post messem stipulas legimus, dicentes: Non tolli per praescientiam Dei vitae humanae contingentiam. Nam ut commune fert pronuntiatum: futura, non ideo sunt, quia praesciuntur à Deo, sed ideo praesciuntur, quia futura sunt. *Hieronymus l. 3. in Ezechiel. hæc ita exprimit: Non quia Deus futura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille praescivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus*. Namposito me loqui, illum actum certè eo ipso dum est, necesse est esse,

esse, necessitate *consequentia* ex ipsa positione effectus; imo infallibiliter est. De eo autem quæritur, an existat necessariò, ita ut necessariò sim locutus? hoc nemo affirmaverit. Ponimus itaque, omnia aliquando quæ à Deo præscita sunt, futura esse: nam ob hoc quod futura erant, Deus præscit. Negamus vero, ideò necessariò esse futura, quod à Deo sint præscita. Addamus nonnullorum Patrum de hac re sententias: *Justinus* vetustissimus Scriptor explicat hanc doctrinam, & à fatali necessitate Stoicorum purgat, cum illam propositionem planè rejicit, qua dicitur: *omnia fieri κατ' ἐπιμαρτυρίης ἀνάγκης*. Idem facit *Hieronymus*, inquiens: *Non cogitur homo ex præscientia Dei, quasi necessitate vel facere quid, vel non facere*. Et *Chrysof.* hom. 60. in *Matth.* ad cap. XVIII. vers. 7. *Non quia futura scandala prædixit idcirco veniunt, sed quoniam futura erant, idcirco prædixit*. Et in *Epist. Pauli ad Cor.* Enimvero *Christus* inquit, *ne cesse est ut veniant scandala, non ideo Arbitrii libertatem corrumpens, aut vitæ vim & necessitatem imponens, sed prædicens id, quod ex mala hominis voluntate omninò futurum est. Quod sane futurum est, non quia id Deus prævidit, sed hominum voluntas immedicabilis fuerit. Non quia prædixit Deus, hæc facta sunt, sed quia omninò ex mala hominum voluntate ventura erant, ipse prædixit*. Si planè rem non percipis, inquit *B. noster Gerhardus LL.* loco de *Provid.* sic habe: *Præscientia Dei, non affert rebus immutabilitatem à priori, sed à posteriori saltem; hoc est: quando Deus scit rem esse, necesse est eam esse. Interim tamen res sua natura & respectu suarum caussarum, poterat aliter esse, & tunc Deus aliter præscivisset. Res sive præsentis, sive præteritæ, sive futuræ, non à scientia, sed scientia à re & eventu dependet, qui*

quitalis præscitur qualis est, ita, ut si futurus non esset, à Deo prævideretur, *August. lib. 3. de libero Arbit. c. 3. exempli gratia (verbis utar Chemnitii p. 1. LL. p. m. 397.) scio heri flavisse Zephyrum, scio post aliquot menses futuram hyemem, non tamen ideò quia ego scio, vel flavit Zephyrus vel erit hyems: sed potius quia ipsa hyems (necessitate præcedente, & ex causa præcedente, per naturam ad agendum determinata) certissimè futura est, ideò eam scio. Sic etiam videmus solem quotidie oriri, sol tamen neutiquam oritur quia nos videmus, secus enim Sol, nobis scilicet actum secundum suspendentibus, non oriretur, quod quia absurdum dicimus potius, nos solem oriri videre, quia oritur.*

§. XIX. Quibus positis, sic argumentamur: Præscientia futurorum, supponit res esse futuras, (quia Omniscentia est attributum Dei æternum, quod radicaliter & fundamentaliter, cum essentia divina ab æterno existente, recurrit: Res autem cognita extra Deum, esse suum in tempore accepit) ergo si erant futuræ contingenter, antequam concipiamus esse cognitæ à Deo, erunt etiam futuræ contingenter accedente præscientia Dei. Ratio; quia scientia hæc non est nisi objecti scibilis perceptio, & nullam habet causalitatem, in ordine ad aliquid producendum efficienter. Non ergo mutat naturam aut indolem objecti seu rei præscitæ, aut ex contingente facit necessariam. (NB. Scholastici distinguunt inter *scientiam simplicem seu simplicis intelligentia*, qua Deus cognoscit omnia possibile, in quantum possibile sunt, non cognoscendo eorum actuales existentias; & *scientiam Visionis* quæ cognoscit quæ existentiam actualem, pro aliqua temporis differentia habent; nempe quod vel existant, vel aliquando extiterint vel extitura sint Ac de Scientia simplicis intelligentiæ quidem

D

cla-

clarum est, quod nullam inferat necessitatem rei, quam tantum sub ratione possibilitatis spectat. Sed nec de Scientia Visionis dici potest, quod rem, quæ videtur, faciat necessariam: cum potius, qualiter res ipsa est, aut fuit aut futura est, talem videat, adeoque contingenter futuram ut talem cognoscat.) Probamus porrò ab absurdo, quod ex contraria sententia redundaret. Si enim præscientia divina tolleretur rerum contingentiam, esset etiam futurorū causa necessaria, quod tamen falsū esse, probatur quia (1) amplius nulla in rerum natura forent contingentia, nulla casualia, ut ita loquar, nulla fortuita, sed omnia quæ fierent, necessario imò ex absoluta necessitate fierent. Quando tegula de tecto caderet, & prætereuntem feriret, necessario caderet, necessario feriret, quæ Fatum Stoicum, quod dudum cum infamia ex Scholis nostris rejectum est, introducunt. (2) Omnia etiam homo ageret necessario, quia & id Deus præscit, quod hic aliquando in effectum deducturus est, & sic hominis voluntas in utramque partem dependens, ut hic vel ille effectus sequi possit, non amplius est libera, sed potius determinata, ad hanc numero actionem edendam, & omne quod agit, sive honestum & pium illud sit, sive vitiosum ac impium, agit sic volente & determinante DEO; si intermittit aliquid boni vel committit aliquid mali, ideo nec vituperandus nec poenis afficiendus; si laudabilia & justa peragit, nec laudandus nec præmiis mactandus est. Vtròque enim modo agit id, quod ipsi divina præscientia injungit & vires agendi largitur. Et sic Deus non solum omnium bonorum, sed etiam malorum erit Autor, id quod non solum absurdum, sed etiam maxime impium Adde. supra laudatos *Dr. D. Calov. Tom. 2. System Theol. p. 332. seqq. D. Meisner. P. 1. Philosoph. Sobr. Sect. 4. Quest. 4. p.*



4. p. 65. B. Dn. D. Major. Disp. de Term. Vita c. 1. d. 4.

§. XX. Quæ si ad præsens applicentur, facilè huc redeunt; quod Deus equidem omnino præsciat, terminum vitæ cujuscunque hominis, idque infallibiliter; non tamen hæc Dei præscientia ipsi termino vitæ necessitatem afferat: verum ipse terminus vitæ qualiter in tempore contingit, ita intellectui divino perfectissimo tanquam objectum determinatam veritatem habens, non potuerit non obversari, & ab eo cognosci ab omni æternitate. Et quanquam Deus non mediante aliquo discursu, verum actu simplicissimos omnes, adeoque etiam terminum vitæ cognoscit: quia tamen in tempore terminus vitæ, vel a causis naturalibus suo velut cursui relictis, pendet; vel pro ratione peculiarium circumstantiarum & directionis divinæ à causarum naturalium ordine recedit, (de quo mox videbimus) fatendum, Deum non solum terminum ipsum vitæ hominis, sed & causas ejus uno simplicissimo actu cognoscere, sive secundum cursum naturæ sibi relictæ ac vivacitatem naturalem; sive alio peculiari modo, & quoad causas, quæ aliter se habere possent, terminus ille figatur.

§. XXI. Imo quia certum est ex Scripturis, quod Deus, non tantum ea præsciat, quæ revera & absolute loquendo futura sunt, verum etiam futura conditionatè, seu ea, quæ licet in tempore reverà non fiunt, neque adeo tanquam absolute futura prævideri possunt; quia tamen futura essent, si conditio quædam poneretur; (quæ cum non impleatur fit, ut nec illud futurum sit;) prout Christus testatur se nosse (adeoque secundum divinam Naturam ab æterno infallibiliter præscivisse) quod incolæ urbium Tyri & Sidonis poenitentiam acturi fuissent, si inter
D 2 illos

illos talia miracula feissent patrata, qualia Chorazitis & Be-
thasiditis exhibita fuerunt &c. Matth. XI, 21. seqq. Confer
responsum illud divinum, Davidi datum ad interrogatio-
nem: utrum Ceilenses, si in urbe eorum commoratus
fuerit (quod tamen deinde factum non est) ipsum tradi-
turi forent Sauli? 1. Sam. XXIII, 11. 12. adde Dn. D. Bech-
manni dissert. de scientia Dei cap. VIII. §. IX. & cap. XIII.
ideò non dubitamus asserere, Deum non solum prævide-
re illum vitæ terminum, quem quisque actu attingit, atq;
ita vitam finit; verum etiam prævidere, quod hic aut ille
homo, hic aut nunc moriturus foret, si hæc aut illa condi-
tio poneretur: etsi quia conditio illa non impletur, etiam
terminus ille vitæ, actu secundo locum non obtineat. Ita
enim novit Deus, & Paulo revelavit per Angelum, quod co-
mites ejus in itinere navali, centurio & milites, mortem in
undis certo die obituri forent, si nautæ tunc non manse-
runt in navi; etsi cum manerent nautæ in navi, nemo ex
illis tunc temporis, & ea morte interierit. Act. XXVII. vers.
22. & 31. seqq. utrinque igitur fatendum est: scientiam Dei
non esse causam ipsius termini vitæ, etsi terminus vitæ
quantumcunque variet, nec solum qui actu attingitur, ve-
rum etiam, qui sub conditione aliqua, quæ revera non
impletur, futurus esset, ab intellectu divino certò & infal-
libiliter cognoscatur. Necessitas autem ipsius termini vitæ
infalibiliter à Deo præsciti, non est absoluta seu conse-
quentis, sed hypothetica seu consequentiæ, eo modo quo
aliàs dicitur: Omne quod est, quando est necesse est esse.
Et omne quod non est, quando non est, necesse est non es-
se. Vide B. Stalii Reg. Philosoph. P. I. Disp. I. Reg. III. p.
m. 15. seqq.

§. XXII. Quod ad voluntatem Dei circa terminum
vitæ



vita humanae occupatam attinet; equidem infedit jam olim & adhuc hodiè insidet multorum animis pestilens illa ac perversa opinio, qua statuunt: Deum *absoluto*, id est, omnem omnino causarum respectum excludente decreto, unicuique hominum, certum mortis genus ita determinasse, ut alio temporis articulo & alio mortis genere interire neque possit neque potuerit, quam quò eum interire contingit. Ita olim Pythagoras, Parmenides, Democritus & omnes penè Stoici censuerunt: ac licet causas inferiores expressè non excluderint, earum tamen complicationem, determinationi divinæ potenti & antecedenti subjecerunt, ita ut non sit in potestate hominis aliter agere, ob necessitatem ab antecedente & efficaci voluntate Dei illatam. Quos tempore Augustini secuti sunt *Predestinatiani*, de quibus vid. *Disp. B. D. Strauch.* de hac hæresi habitam *Wittebergæ anno 1658. Calviniani*, quorum sententiam sic exprimunt *Palatini im ausführlichen Bericht cap. VII. laudati à Massonio P. I. cap. 30. p. 1068.* Gott hat die Zügel in der Hand / wie etwa ein Mensch ein Thier am Strick führet / daß er entweder frey für sich gehen lassen/oder zurück ziehen/oder hin und her lencken kan: weiß sie auch in ihren bösen Lauff / durch den Zaum seiner Vorsehung also zu lencken/das sie mit ihrer Bosheit nirgend anfallen müssen/als wohin er will. *Æ. Calvinus* hæc ita explicat *Harm. Evang. p. 333. Semper vobis occurrat Dei Providentia, cui Judam ipsum & omnes Impios (licet invitos & aliud agentes) parere necesse fuit.* Sani. *Maresius Sylloge I. Select. Disp. p. 564. Terminus vitæ ita prefixus singulis mortalibus, ut nemo, vel superet, vel pertingat metam, sibi à supremo vitæ & necis arbitro, occulto & immutabili consilio constitutam.* Confer *Rivetius in Epist. de Term. Vitæ p. 195.*



Maccovius in Theolog. Polem. cap. XI. quest. 4. p. 134.
Idem in L. C. cap. 46. p. 304. B. Danhauer Holom. Calv.
p. 944. seqq. ANNA Schurmanniana factorum natrix,
quæ in epist. ad Beverovicium scribit, hanc esse Dei sen-
tentiam: etiamsi Petrus pro innata sibi libertate in presen-
tissima vitæ pericula se conjiciat, sequæ adeo ipsam crapulâ,
irâ, libidine, ad diutius vivendum idoneum aut indignum
reddat, volo tamen ut istorum nihil ei obsit, sed ut per sceler-
ra & flagitia ipsa ad præstitutum terminum perveniat.
Contra, etiamsi Johannes castigatissime vivendo, se ipsum
longiore vita dignum reddat, volo tamen ut fixus maneat ter-
minus & non moveatur loco, quod apud me ab æterno consti-
tutum est vitæ spatium. vid. Danhauer Theolog. Conscient.
P. 11. dial. 4. Benedictus Spinoza, qui omnium entium, per
naturalium causarum æternam immutabilemque coor-
dinationem & concatenationem, in agendo & movendo
necessitatem, passim in Scriptis suis, & toties inculcat, ut
supervacaneum videatur, specialia loca velle eam in rem
citare aut recitare. Unum duntaxat dabimus testimo-
nium ex præfatione partis IV. Ethices, quem librum præ-
ceteris suis scriptis æstimasse videtur Autor, cum ejus no-
minatim impressionem paulò ante obitum mandaverit,
verba sic habent: *Ostendimus in prima partis appendice,*
Naturam propter finem non agere. Æternum namque
illud & infinitum ens, quod DEUM seu NATURAM
appellamus, eadem quâ existit, necessitate agit. Ex quâ enim
Natura necessitate existit, ex eadem ipsum agere ostendimus.
(propof. 16. p. I.) Ratio igitur seu causa cur DEUS seu
*NATURA agat, & cur existit una eademque est. Ut er-
go nullius finis causa existit, nullius etiam finis causa agit;*
sed ut existendi sic & agendi principium vel finem habet
nul-

nullum. vid. Dn. D. Kortbolt. Tr. de tribus Impostoribus
sect. 3. §. XIX. p. m. 183.

§. XXIII. Turcæ quoque stulta quadam religione
sibi persuadent, medicinæ operam necessariam non esse, eò
quod sanitas & morbus, vita & mors penes Dei volunta-
tem sint, adeò ut nulla arte possit vitare homine quod
Deus de eo decrevit. Quemadmodum patet ex *Busbe-*
quio, cujus verba propter elegantiam sermonis merentur
adscribi ex ep. 4. p. 224. *Pestis vitanda gratia*, inquit, *mit-*
to ad Rustanum, rogatum, ut mihi ejus permissu aliquò mi-
grare liceat, ubi sim extra metum aëris contagione infecti.
Quod quidem faciebam diffidenter, quod erat mihi cogni-
tum ejus Ingenium: faciebam tamen, ne viderer in mea-
meorumque valetudine tuenda fuisse negligentior. Respon-
dit *Rustanus*: se relaturum ad Principem. Postridiè re-
nunciat eum sic respondisse: quid mihi vellem, aut quò cogi-
tarem? an nescirem pestilentiam sagittas esse Dei, quæ à pro-
posito scopo non aberrarent? ubi ubi delitescerem ut ab ejus
zeli jactu tutus essem? si me percussum vellet, nihil fugans
nihil latebras profuturas. Frustra vitari quod evitari non
posset. Suas ades ne nunc quidem peste vacuas in quibus
nihilominus maneret: me quoque facturum rectius si me
loco non movissem. Confer exemplum Mercatoris Italo-
Græci quod habet idem *Busbequius* ep. 4. p. 221. (de quæ-
stione verò: an & quatenus Christiano tempore Pestis fu-
gere licitum sit? vid. *Disp. Giffens.* Tom. V. disp. 14. *Heer-*
brandi Consilium seorsim editum ac quæ in *Witteber-*
gensibus ac *Dedekennianis* multa habentur) Addo quod
Gisb. Voetius ex libello *Bartholomæi Georgiewitz* de rebus
Turcicis refert: ordinem quendam militum apud Turcas,
quos *Chazizarios* vocat, fidem habere Deæ *Nassub* i. e.
for-

fortuna, quibus hoc fortitudinis s. audaciae symbolum perpetuò in ore sit: *Gelur lasilan bassima* i. e. Scriptura veniet capiti. Quod memini, scribit de se Voetius, illos ante paucos annos Roterodami, propter infandum flagitum ad suspendium damnatos, respondisse Pastori Ecclesiae, ad poenitentiam & fidem per interpretem eos hortanti. Quidquid scilicet die natiuitatis unius cuiusque capiti Deo fortuna inscripsit, id evitare impossibile erit. Utinam inter Turcas hæc sola opinio vigeret & ad ultimas Getarum solitudines relegaretur, non audirentur hæc vulgi dicteria: Nisi fatale agro mori, facile evadet. Et, cui fatale est mori vel morfu pediculi conficeretur: uti Sophocles, teste Luciano in *Μαροσίῳ* & Anacreon Poëta acino uvæ passæ & Fabius Senator in lactis haustu, uno pilo strangulatus est. *Plin. l. VII. cap. 7.*

§. XXIV. Sed omnino hæc de fato opinio luteo perquam nititur fundamento & multa absurda post se trahit. Sanè si fati nomine intelligitur ipsa divina providentia, quæ inferiores causas tum naturales, tum voluntarias non excludit, sed subordinatas habet, utique concedendum est; fato, hoc est divina providentia omnia omnino gubernari. Si vero fati nomine intelligatur, necessaria omnium causarum connexio, quæ vel Deus ipse, isti necessitati subjiciatur: vel voluntatis libertas excludatur: vel à stellarum cursu rerum sublunarium regimen nexu necessario dependere dicatur, id vero fatum improbamus & rejicimus. Quid enim ex fatuo illo fato aliud concludi potest, quam hoc: Vel ab æterno destinatus sum ad mortem violentam ac præmaturam, vel non: si sum destinatus, necessario ita peribo, qualitercunque vixero: si non sum ad talem mortem destinatus, necessario servabor à mor-

morte, quicquid vel per intemperantiam, vel per alia peccata admifero, quod mortem accelerare aut violentam attrahere posse videatur; scilicet eo more, quo ex sententia Reformatorum, de absoluto Prædestinationis & Reprobationis decreto, homines argumentari posse constat: Si sum prædestinatus absolutè ad vitam æternam, necessariò salvabor, etsi pessimè vixero; si sum reprobatus, necessariò damnabor, etiamsi coner vivere quã optimè. Qui error quã sit sufficiens adigendi vel ad vitæ licentiã, vel ad desperationem omnes, qui eum fovent, jam dudum monstrarunt contra Bezam, Piscatorem, Calvinũ, Theologi Nostrates. Addo, si res sic se habet, quod Deus non possit promittere *μηνεσιοντι* ob pietatẽ Piiis, nec possent pœnæ flagitiosis jussu divino ob flagitia infligendis cõsistere cum absoluto Dei decreto, de certa mortis hora & certo mortis genere. Si enim Deus homicidam absoluto decreto destinavit ad capitalem pœnam Genes. IX, 6. quã veritate diceretur, quod ob sua flagitia periret. Ne mari quidem transmittendo quærenda essent navigia; nec morbidis sanandis affectibus Medicamenta, cum nulla cura aut scientia quidquam valeat adversus ea, quæ Deus absolutè decrevit. Unde scitum est, quod de Agesilao refert *Plutarchus in Apophth. Lacon.* Cum Medicus quispiam illi præscriberet curationem nimis exactam neque simplicem, qualis esse solet apud Lacedæmonios: *Νη τῷ Θεῷ (Φησιν) εἰ ἂν πάντως μοι πέικεται ἔην, ἔσθ' εἰ πάντα ἀναδέχομαι.* *Mecastor, inquit, nisi vita est destinata, non sum victurus, etiam omnibus istis usurpatis.* Rectè quidem ex hypothese, sed minus verè.

§. XXV. Veritatis siquidem infallibili ex Principio colligimus: voluntatem Dei esse duplicem, *absolutam & conditionatam* v. g. vult Deus, ut grassante peste corripi-

E

an-



antur obvii & enecentur, sed sub conditione, si locum peste infectum non fugiant, aut contra eam antidota à se tradita non usurpent. Quod si spectemus statum illum, quo hominibus post lapsum moriendi necessitas imposita est; fortassis dicere possemus, voluntatem divinam terminari ad terminum vivacitatis naturalis, in statu mortalitatis, quoad omnes homines, sed sub conditione; nisi præter contractam per lapsum moriendi necessitatem aliæ intervenierint causæ, per quas terminus ille vitæ per naturalem vivacitatem ac temperamenti vim ponendus, abbreviandus aut prolongandus esset: (Dari autem voluntatem Dei conditionatam in Deo, aliàs & jam pridem ostenderunt Nostrates. vid. *B. Musæi Dissert. de volunt. Dei Anteced. & Conseq.* quæ adjuncta est Tractatui de Usu Princ. Rat. cōtra Vedelium.) Sed sufficiat, nos impræsentiarum illud tenuisse, quod voluntas divina ad terminum vitæ humanæ non terminetur ex absoluto quodam, seu respectum ad causas cum naturales tum liberas, atque impulsivas, extra Deum, excludente decreto; verum ita, ut decretum Dei, quo præfixit cuique hominum certum vitæ terminum, fundetur in præscientia Dei, quâ causarum secundarum ordinem & cursum ab æterno exactissimè cognovit; imò quâ etiam, (si de termino vitæ qui non præcisè temperamento & vivacitati naturali respondet, loquamur) causæ aliquid prævidit, quamobrem extra ordinem & præter consuetum naturæ cursum terminum alium præfigeret, quo alter per naturam constituendus, vel prolongaretur vel antevertetur.

§. XXVI. Institutum prohibet, quò minus longius hæc in materia exspatiemur. Ad astra attollenda mentis acies

acies est, & num ab eorum cursu, rerum sublunarium regi-
men, necessario nexu dependeat, prospiciendum? Princeps
Philosophorum *l. 2. de generatione & corruptione cap. X.* te-
statur: Magnam imò & admirandam esse vim & efficaciam
astrorum, ut etiam generationum ac corruptionum sibi
invicem succedentium varietatem inde pendere statuatur.
Idem hac in re alii sentiunt Physici atque Astronomi. Sol
perfecto, qui singulis annis non tantum, verum & singulis
diebus ascendit ac descendit, diem atque noctem ortu suo
& occasu constituit, nec in anni renascentis partibus quid
est, quod huic non adscripseris. Lunam familiarissimum
terris sidus, in solatium conditum tenebrarum, diverso situ
ac specie sua diversos effectus edere, quis est qui nesciat?
Crescente certè eadem, crescunt in corporibus humores:
decrecente eadem, minuuntur; ligna luna plena aut cre-
scente fissa cariem sentiunt; cancrorum & ostrearum car-
nes succosiores, & quæ sunt alia, quæ in sublunaribus cor-
poribus luna præstat. vid. *Sperling. Inst. Phys. l. 3. cap. 4.*

§. XXVII. Verum his præclaris operationibus minus
contenti Astrologi, quos Græci *Αππλεσµατικὸς*, quasi in
effectibus stellarum docendis occupatos, Latini Judicia-
rios vocant; longè majorem, ne dicam supersticiosam
virtutem stellis affingere tentant, dum palam adstruere
non erubescunt: posse se ex cœli constitutione & situ
astrorum, qui existit ipso quo infans nascitur momento,
certò providere & prædicere, non solum omnem quan-
tumcunque variantem constitutionem corporis, staturæ,
ingenii, facundiæ, morum, artium ac scientiæ rationem;
sed & externas fortunæ vicissitudines, quæque ab arbitrio,
cùm ipsius, cui illa prædicuntur, tum aliorum, pendent:
tandem quonam morbi mortisque genere, & quo anno



mente ac die sit finiturus vitam. Hinc Themata erigunt Genethliaca & in domos XII. dividunt, Planetis certam quandam bonitatem & malitiam tribuunt, & juxta situm eorum ac conjunctionem maximè judicant. Martem præ omnibus omnis infortunii nuncium, mortis etiam violentæ causam & machinatorem arguunt; scilicet quod ardens, violentum, cruentum sidus credatur & appareat. Cardanus certè, Vir cordatus eruditus & sagax (licet in nonnullis stultus & ineptus, præsertim cum omnia Monitori suo Genio tribuit, si quid in somno emphaticum habuit aut nocturno tempore vidit. vide librum *ejus* *IIIX. de Rerum Varietate*, sub initium *capitis XLIII. p. 539. seqq.*) Ciceronem tam miserabili mortis genere occubuisse, id vero omne ♂ cruento tribuit lib. de Genit. Gen. X. Idem Gener. XL, Neronem violentas sibi manus intulisse; Galeatium Sfortiam Ducem Mediolanensem à sceleratis tribus percussoribus confossum esse, infelici ♂ ortui in oppositione mala ♀ & ♀ tribuit.

§. XXVIII. Nobis licet haud ignotum, magnam existere doctorum Virorum copiam, qui pro Genethliacis istiusmodi thematibus tanquam pro aris pugnent & focus, repugnat tamen (I) Scriptura S. Levit. XIX, 26. 31. Prov. XXVII, 1. Num. XXIII, 23. Jes. XLII, 22. XLVII 12. 13. 14. (II) Absurdum planè, arripere causas remotiores, quæ familiam ducant, & propinquiores posthabere, conditionem immediatam Parentum, tam ex parte Patris quam Matris, eorum complexionem, vim seminalem, educationem, naturam loci, victum, informationem, de quibus vid. *Francisc. Baco de Verulam. historia vitæ & Mortis p. 165. seq.* (III) Astra materiales causæ sunt, animus noster ex natura materiæ expers, ergo directè & per se eum mutare non possunt.



possunt. Licet negandum non sit, quin corpus animæ
conjunctum, possit ab hujusmodi causis alterari, & per na-
turalem sympathiam animus ipse indirectè aliquatenus
possit affici ab influxu cælesti, intra eos fines, qui corpori
ad blandè attrahendum secum socium animum permit-
tuntur; quamobrem mores animi sæpe numero sequun-
tur dispositionem corporis, non injecta per corpus neces-
sitate, cui reniti voluntas potest. Quod si (IV) in-
certitudinem hujus Scientiæ attendamus, luce meridiana
clarius erit, hæc tantum ex accidenti vera esse. Unde,
doctissimus *Vives ad August. l. 5. de C. D. c. VII. p. 503. Quæ
falsò dicunt, plerumque silentio involvuntur: at quæ verè,
licet casu, in vulgus hominumque sermonem emanant, in-
de fit, ut apud imperitos divinare existimentur.* Causa
quoque hæc subesse potest, ut cum Astrologi divinent fu-
tura id nonnunquã accidat (ut cum *Augustino loquar l. IV.
Confess. c. 3.) ex divina providentiæ occulta dispositione, quæ
aliquando cæcas hominum mentes, ignoto quodam instinctu
sic agit, ut nescientes proferant, quæ consulentes vel ex
eorum meritis l. ex abisso justi judicii Dei oporteat audire.*
*Conf. Agellius lib. XIV. noct. Attic. 1. lib. XIX, 14. August.
lib. 5. de Civ. Dei cap. 3. Perer. de divin. Astrolog. p. 289.
Picus Mirandul. lib. 3. contra Astrol.*

§. XXIX. Neque vero mirum est, fortuitas in Mun-
do sortes, aliquam interdum edere futurorum significa-
tionem; cui tamen qui fidem habent, insigniter sæpius fal-
luntur. Exempla nobis suppeditat *Nicolaus Caussin* in
Ephemerid. Astrolog. & histor. cui postea subjunxit obser-
vationes adversus superstitiosa de astris judicia, & judicia
de illis nata ex mente Astrologorum annectit, quæ tan-

tum abest ut eventui responderint, ut omnium potius fortunam atque vota superaverint. *vid. Dn. D. Johan. Frider. Mayer. in Eclog. Evangel. ad Evangel. in Festo Johan. Baptista.*

§. XXX. Sed & suæ nonnunquam temeritatis poenas luunt. Velut egregio exemplo aliquem Genethliacorum revicit olim supra nominatus Galeatius Mediolanensium Dux. Cum enim eò temeritatis processisset Astrologus quidam, ut illi necem repentinam, sibi contra vitam longævam polleretur, Galeatius protervia hominis exacerbatus, suum cum Astrologi fato fatum commutandum ratus, hominem confestim in furcam agi iussit, ipse diu superstes. Geminum & festivum est, quod de Mosollamo milite Judæo refert ex Hecataeo Abderita *Josephus lib. 1. contra Appionem.* Vid. omninò de hoc argumento Clarissimus *Spanhemius Dub. Evangel. P. II. Dub 33.* ita concludens: ordinariè Genethliaci dum aliena fata dividunt, sua ignorant, & vanissimis præfagiis sæpe multis ludibrium debent.

תהלתה לאלה
יהי תהלתה:

Clas



Clarissimo & Doctissimo
DN. M. ANDREÆ COLERO,

S. Theologiæ Cultori egregio & felicissimo
Amico & Fautori honorando

S. P. D.

JOHANNES GVILIELMVS BAJERVS. D. PP.




Vando Tibi, Clarissime
COLERE, post excultas
laudabili studio in Acade-
miis, Rostochiensi primùm,
deinde Kiloniensi & Vit-
tebergensi, liberales artes,
ac presertim sacram Theologiam, Sala-
nas quoque Scholas visere; nec tantum quæ
hic docerentur pernoscere; verum etiam colle-
ctam antè supellectilem doctrinæ, publicò quo-
dam specimine exponere placuit: certè Philo-
mà deia illa Tua, quam nostris officiis iuvare
voluisti, facile excitavit studium meum: Mo-
rum autem facies pulchra ita me Tibi de-
vinxit, ut quod pro munere ratione debebam,
tantò libentius prestare cuperem, Cumque
Dissertationem Tuam de Terminò Vitæ, pau-
corum


corum dierum spatio conscriptam, mihi obtulisses, pro Tua verò modestia dubitares, utrum examini publico subjicienda judicari posset: factum potius est, ut hac ratione, ingenii tui felicitas pariter atque acquisita vigili labore doctrina mox appareret, imò talibus iudiciis conicere liceret, quid maturioribus curis posses efficere, quamque utilem & præclaram operam in Ecclesiam ac rem literariam, Deo duce, sis collaturus. Ita dum felicibus auspiciis Dissertationem illam Tuam luci atque examini publico expositurus es, mox autem ad Academias plures visendas pedem prolaturus, Divinam Tibi gratiam ac plenam εὐπραξίαν καὶ εὐτυχίαν ex animo precor. Deus, cui vita Tua hætenus cura fuit, felicem ac multis profuturum ejus decursum, terminum seruum, sed beatum, largiatur, ut, qui in hac vita mortali operas nostras sociavimus ac Deo consecravimus, posthac in interminabili vita, Deum intuentes, unà gaudeamus. Ita vale in Domino. Scrib. Jenæ prid. Kal. Sept. A. C. CIO IOCLXXXVI.

COLNIO

SS (O) SS







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

17

Q. D. B. V.
DE

ARMINO
ITÆ,

PRÆSIDE
WILHELMO BAIERO
Doct. ejusdemque Facul-
tatis PP.

*Autore suo omni pietatis ac
antia cultu prosequendo.*

BLICE DISSERTET
EAS Cöler / Lubecens.
Auditorio Theologorum
A. C. M. DC. LXXXVI. *Sept. 1686*

JENÆ,
S. IOHANN. ZACH. NISL.

